



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Lvdovici Molinæ, E Societate Iesv Theologiæ Doctoris, &  
Professoris, Commentaria, In primam D. Thomæ partem**

**Molina, Luis de**

**Lugduni, 1622**

Articvlvs III.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73915](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-73915)

## ARTICVLVS III.

Virum actus notionales sint de aliquo.

## DISPV TATIO I.

Filius est  
de substantia  
patris, & spi-  
ritus sanctius  
de substantia  
veritatisque.

**C**onclusio est: Filius est genitus, non de nihilo, neque de aliena substantia, sed de substantia Patris, atque adeo generatio Filii est de aliquo. Eodem modo de processione Spiritus sancti dicendum est, eam esse de substantia Patris & Filii. Probatur conclusio primò: quia vera generatio, qua aliquid procedit ut Filius, est de substantia generantis, ut ex dictis quest. 27. art. 2. est manifestum: vnu quippe homo generat alium hominem de sua substantia, quam in generatione decidit: sed Filius Dei est verus Deus Filius, & non per metaphoram, ut sunt illi, qui per gratiam in filios adoptantur, ut ex illo 1. Ioannis ultimo, *Vt simus in vero Filio eius, &c.* constat: ergo eius generatio neque est de nihilo, neque de aliena substantia, sed de substantia Patris. Cum autem, ut Concilium Lateran. cap. *Dannamus*, d. summa Trinitate & fide Catholica, argumentatur, Pater non dederit Filio partem quandam sue substantiae, & partem aliam sibi retinerit, ed quod substantia Patris sit indivisibilis, ac omnino simplex, sit, ut sit de tota substantia Patris. Secundò probatur, ex confessione fideli Concilij Niceni, & Ephesini in epistola ad Nestorium: utroque enim habetur: *Credimus in unum Dominum Iesum Christum Filium Dei, natum ex Patre, unigenitum, hoc est, ex substantia Patris, Deum de Deo, &c.* Et infra: *Dicentes quia ex non substantibus factus est, aut ex altera substantia, vel essentia dicentes esse, aut creatum, hos tales anabemazat Catholica & Apostolica Ecclesia.* Concilium etiam Toletanum 11. in confessione fidei, Filium, inquit, de substantia Patris sine initio ante secula natum, non tamen factum esse contemur. Tertiò, quia filius per generationem accipit à Patre substantiam patris, ut pater ex illo Iohannes 10. *Pater, quod dedit mihi maius omnia, est: quod Concilium Lateranense cap. *Dannamus* citato dicit intelligendum esse ad literam de substantia Patris, quam Filius accipit à Patre per generationem, indéque colligat Filium & Patrem consubstantiales esse, hoc est, eiusdem omnino substantiae: ergo Filius generatur de substantia patris. Confirmatur ex illo Concilij Florentini in literis sanctæ unioris, in decreto de processione Spiritus sancti: *Omnia que Patris sunt, ipse Pater unigenito Filio suo lignendo dedit, prout esse Patrum.* Quartò, Filius non generatur de nihilo, eo enim dato esset creatura, eiusque generatio esset creatio, neque generatur de aliena natura & substantia, alioquin vel non esset Deus, vel essent plures Dii: ergo generatur de substantia Patris. Vnde Augustin. 15. de Trinitat. cap. 19. *Filius caritas eius nullus est alius, quam qui de substantia eius est genitus.* & 3. lib. contra Maximum cap. 14. inter alia quibus nostram conclusionem probat: *Nullo, inquit, modo verum Dei Filium cogitatis, si eum natum esse de substantia Patris negatis.* Et de fide ad Petrum cap. 2. Fulgentius: *Pater, inquit, semel de sua natura sine initio genuit Filium Deum fili equalem.* Vide Magistrum in r.d. 5.*

Obseruandum est cum D. Thoma hoc loco ad 2. & 3. &c. sententiarum d. 5. q. 2. art. 1. has præpositiones, *de*, & *ex*, denotare habitudinem principij: quare cum inter principium, & id quod est à principio, esse debat distinctio, non concedimus hanc, *Filius est de substantia*, aut *de essentia*, quia substan-

tia & essentia non distinguitur à Filio, concedimus tamen hanc, *Filius est de substantia Patris*, quia apponitur dictio illa, *Patris*, quæ significat id, quod distinguitur à Filio, & habet rationem principij comparatione Filii. Vnde Augustinus 7. de Trinit. cap. 6. *Tres, inquit, personas eiusdem essentia, vel tres personas unam essentiam dicimus: tres autem personas ex eadem essentia non dicimus, quasi aliud ibi sit quod essentia est, aliud quod persona, sicut tres statas ex eodem auro possumus dicere: aliud enim illuc esse aurum, aliud esse statas, haec Augustinus. Propriè eamdem rationem non concedimus Patrem esse de substantia Filii, aut *Filiū de substantia Spiritus sancti*: quia neque Filius est principium Patris, neq; Spiritus sanctus est principium Filii, quod tamen denotat præpositio illa, *de*.*

Obseruat præterea D. Thomas locis citatis, hoc esse differunt inter duas illas præpositiones, quod præpositio *de*, denotat habitudinem principij, quod sit substantiale aliquo modo: præpositio vero, *ex*, denotat habitudinem principij, etiam si consubstantiale non sit: quare quicquid dicitur esse de aliquo, dicitur etiam esse ex illo: non tamen conuertitur. Dominus enim dicitur esse ex aedificatore, tamquam ex principio efficienti, non tamen dicitur esse de aedificatore, quia aedificator non est principium cōsubstantiale domus, eò quod nullam partem sua substantia ei communicet, & creatura dicitur esse ex Deo, non tamen de Deo, quia similiter neque ratione, neque partem sua substantia illi communicat.

## DISPV TATIO II.

*Vtrum Filius sit de substantia Patris tamquam ex materia.*

**D**ruidus in r.d. 5. q. 2. & Henricus in summa *Dordeti* 6. art. 5. q. 3. & quolibet 5. q. 9. præmittunt, materia conuenire conditiones aliquas quae dicunt imperfectionem, ut esse puram potentiam, fieri in actu per formam, esse partem, &c. Conuenire etiam ei conditiones alias quæ nullam dicunt imperfectionem, ut manere eamdem in generatione, esse intrinsecam genito, & sive id de quo res genita generatur, esse perpetuum generationis, & corruptionis minime obnoxiam, &c. Tunc dicunt, Filius generari ex substantia Patris tamquam ex materia, non quidem quoad conditiones materia, quæ dicunt imperfectionem, sed quoad conditiones, quæ nullam imperfectionem immolunt. Hæc cadem sententia videtur fuisse D. Thomas in r.d. 5. q. 2. art. 1.

Probant prædicti autores hanc suam sententiam: *Sundetum* primò quoniam esse id de quo est aliquid, præexistere rei producere, & sive quippe intrinsecum rei producere, sunt conditiones materie: sed Filius est de substantia Patris, & substantia Patris, nostro intelligendi more cum fundamento in re, præcedit Filium, & sive illi intrinsecus: ergo Filius generatur de substantia Patris tamquam ex materia.

Secundò, si Pater de parte sua substantia, ant *seu* de aliena substantia generaret filium, substantia illa haberet ut materia: ergo cum generet Filium de terra sua substantia, tota sua substantia, materia instar habebit. Patet consequentia, quia esse totam aut partem, esse propriam aut alienam substantiam, est quid omnino impertinens, ut se habeat, aut non habeat ut materia.

Tertiò, quando aliquid constituitur ex duobus, vnum se habet ut forma, & aliud ut materia: filius constituitur ex essentia & relatione: & relatio non se habet ut materia comparatione essentie, sed

sed potius ut forma quippe cùm adueniat essentia, eamque determinet ad esse Filij: ergo essentia se habet ut materia comparatione proprietatis personalis, atque adeò comparatione etiam Filij in ipsius generatione.

*Filius de  
substantia pà  
tria non iam  
quam ex ma  
teria sed tā  
quam formam.*

Diuinus Thomas hoc loco in responsione ad primum & secundum affirmat, Filium generari de substantia Patris, tamquam ex principio constitutantili ac formaliter, eademque est sententia Caterani, & Torres hoc loco, Capreoli, Scoti, & Gabrielis in 1. distinctione s. communisque Doctorum. Ac sancum diuinam essentia sit actus purus, ac proinde forma subsistens, non satis castè loquuntur, qui dicunt, habere se ut materiam in generatione Filij. Vnde Augustinus 3. lib. contra Maximum cap. 14. *Non de aliqua, inquit, materia, aut de nihilo, est Dei Filius.*

*Ad 1.* Ad primum igitur argumentum in contrarium dicendum est, omnes illas conditions posse æquè bene conuenire formæ, ac conuenient materia, ut pater, si Deus anima præexistenti D. Petri vñiret materiam, quam de nouo crearet. Tunc enim D. Petrus esset de illa anima præexistente, sibi intrinseca, postquam esset productus: quare conditions illæ materie in rebus materia constantibus, non cogunt essentiam diuinam habere se, ut materiam in generatione Filii, & processione Spiritus sancti.

*Ad 2.* Ad secundum ita est respondentium. Si per impossibile pars illa, aut aliena substantia, esset actus purus, ut te ipsa essentia diuina est, vtique Filius non generaretur de illa tamquam de materia, sed tamquam de forma subsistente. Etenim si Deus de parte formæ ignis præexistentis aliquid produceret supponendo tali parti formæ nouam materiam, sanae productum illud produceretur de parte illa formæ, non tamquam de materia, sed tamquam de forma, ut est notissimum. Itaque ut dicamus aliquid produci de aliquo tamquam de forma, aut tamquam de materia, non respicimus, an sit totum, an pars, & can sit proprium, aut alienum, sed ad natum eius de quo producitur.

*Ad 3.* Ad tertium responderi debet, maiorem non esse veram, quando constituentia sunt idem prolsus ex natura rei, solùmque est constitutio nostro intelligendi more, ut in re proposita cernitur, in qua vtrumque ex natura rei est actus purus, idemque prolsus cum alio. Eatenuis tamen, ut verum fatear, essentia diuina & relatio nostro intelligendi more videntur habere ut forma & materia metaphysica, quatenus relatio nostro intelligendi more videtur determinare essentiam ad constitutionem personæ, & essentia determinari: re tamen ipsa vnum non est actus, etiam metaphysicus, & aliud potentia: quia seclusa operatione intellectus, nulla est actus distinctione inter essentiam & relationem, ut ex dictis sèpe in superioribus est manifestum; ut autem duo aliqua ita sint affecta, ut vnum sit actus, & aliud potentia, distinctione inter vtrumque necessaria est.

#### ARTICVLVS IV.

*Vtrum in diuinis sit potentia respectu actuum notionalium.*

*H*oc articulo examinandum est cum D. Thoma, vtrum detur potentia respectu actuum notionalium, & in sequenti quid ea sit, videlicet vtrum sit aliquid absolutum, an respectuum.

*Opinius  
Aureoli.* Quod ad primum attinet, fuit opinio Aureoli, Capreoli, & Gregorius in 1. distin. 7. referunt, as-  
*Molina in D. Thom.*

A serentis, in Patre non aliam esse potentiam ad generandum Filium, quā non repugnantiam terminorum: ita scilicet, ut quemadmodum homo non per aliam potentiam dicitur possit esse animal, quā per non repugnantiam, ut sit animal, quæ fundatur in necessaria habitudine ac connexione animalis cum natura humana: sic quoque non per aliam potentiam Pater dicitur posse generare Filium quā quia non repugnat ab ipso esse Filium per generationem. Itaque vult potentiam, secundum quam Pater potest Filium generare, non esse aliquid reale & potitiuum in Patre, sed solam negationem repugnantiam ut Filium generet.

*Improbatur.*

Sententia hæc, tenui meo iudicio, non solum singularis est in re admodum graui, sed etiam parum consona scriptura sacra, Conciliis, ac rationi ipsi. Psalmo enim 109. ait Pater eternus ad Filium. Ex vtero ante luciferum genui te: quo in loco innuitur aperte intellectum fusile principium reale, quo Pater genui Filium, ut latius quæst. 27. art. 1. exposuimus. In Concilio etiam Lugdunensi cap. Fidei de summa Trinitate & fide Catholica lib. 6. & in Florentino in literis sanctæ vñionis in decreto de processione Spiritus sancti, definitum fuit, *Patrem & Filium esse unum principium Spiritus sancti, estq; termo de principio reali: quare non sola nō repugnantia terminorum, sed vera vis realis constituenda est potentia ad producendum Filium, aut Spiritum sanctum. Addit, Filium & Verbum in diuinis esse idem: Verbum autem producitur per intellectum, tamquam per principium quo: ergo Pater generat Filium per intellectum, tamquam per principium quo, atque adeò datur in Patre vis realis, per quam generat Filium.*

Alia fuit opinio Gregorij in 1. dist. 7. quæst. 1. concedens quidem vnum principium, ac potentiam realem ad producendum Filium, attamen allearientis hanc nullo modo distinguiri à Patre, sed esse idem prolsus cum Patre: quia arbitratur, alioqui non salvare omnimodam simplicitatem in Deo, ut de notioribus & proprietatibus personalibus quæst. 32. art. 2. disp. 2. eum affirmasse retulimus.

Hec quoque sententia singularis est, videturque conuincit testimonio illo Psal. 109. *Ex vtero ante luciferum genuisti: tum etiam postrema ratione, quam aduersus Aureolum confecimus, superuacaneum que duco disputare aduersus has sententias: cum explicata veritate satis manifesta sit futura falsitas harum opinionum.*

Ergo opinio D. Thomæ hoc loco, & communis, in Patre dari potentiam realem, à Patre aliquo modo distinctam, qua generat Filium, & in Patre & Filio dari potentiam realem, qua spirant Spiritum sanctum: quia in hunc modum probatur. Omne generans generat aliquo sui: ergo Pater aliquo sui generat ac producit Filium, tamquam potentia, qua eum generat, eadēque ratione Pater & Filius aliquo sui spirant ac producunt Spiritum sanctum, tamquam potentia, ut ita dicam, spiratiua, ac Spiritus sancti productua. Confirmatur hæc ratio, quod ad potentiam spiratiuam attinet, quia Pater & Filius producunt Spiritum sanctum, non quoad id, in quo distinguuntur, nempe quoad paternitatem & filiationem, sed quoad id, in quo conueniunt, & sunt vnum, ut ex Concilio Lugdunensi, & Florentino constat. ergo aliquo sui, tamquam vi ad producendum, producunt Spiritum sanctum.

Tota rei huius difficultas est, in quo sensu concedenda sit in diuinis potentia ad generandum Filium, aut ad spirantium Spiritum sanctum. Ad

*Dari in pa  
tre potentia  
realem ab eo  
aliquo modo  
distincta ad  
filium gene  
randum.*

*Potentia se  
cundum re  
& potentia  
novo intelli  
gendi more  
quid sit, &  
quo pacto dif  
ferant.*

Tt 2 cuius